

[89r] Die 6 aprilis illustrissimus dominus discessit cum suis e dicto loco et se contulit ad viceparochialem ecclesiam Sanctissimae Annunciationis loci Sancti Antonini plebis Aregni Aleriensis dioecesis ibique fuit reverenter receptus a reverendo Petro Maria Manuelli oeconomus; et praemissis de more precibus visitavit sanctissimum Sacramentum, quod optime retentum vidit; eoque oeconomus populum benedixit.

Baptisterium etiam sufficiens est; vascula vero oleorum sanctorum cum sint ex stamno minus decentia sunt. Quinque sunt altaria. Maius dictae Beatae Virgini dicatum; secundum a cornu evangelii est Animarum Purgantium; tertium, sanctissimi Rosarii, in quo non adhuc societas erecta est; quartum ex alia parte, sanctae Catharinae virginis et martyris. Hoc altare erectum et dotatum fuit a quondam sacerdote Luciano Silvestri, prout ex testamento rogato a Dominico Croce notario publico 31 maii 1736, cum onere missarum 112; sed cum terrae non reddant pristinum fructum, ab illustrissimo et reverendissimo domino Mathaeo de Angelis episcopo Aleriensi pro tempore redactae [= reductae] fuerunt die 25 iulii 1755 ad missas 70. Ignoratur tamen qua facultate episcopus id fecerit; nequaquam enim [89v] constat quod dictus episcopus obtinuerit huiusmodi facultates a Sancta Sede reducendi onera missarum, et huiusmodi reductiones ab eodem ordinario factae passim reperiuntur. Modernus cappellanus est sacerdos Lucianus Silvestri, ad quem pertinet manutentio dicti altaris. Ex dictis missis duodecim celebrari debent in altari sanctissimi Rosarii. Quintum altare, sanctae Crucis, in quo erecta est cappellania seu legatum pium missarum ad rationem fructuum provenientium ex quodam stabile, computanda eleemosina 12 soldi pro qualibet missa, relictum a quondam Anna quondam Antonello, prout ex testamento rogato a notario Iosepho Maria Savelli die 23 novembris 1703. Manutentio tamen spectat ad populum.

Dicta altaria et ecclesia minus decentia sunt, prout ex decretis (etc.), parietes namque pulverulenti et pluribus in locis decorticati ac suppellectilia miserrima sunt.

Modernus parochus est sacerdos Vincentius de Petris plebanus, qui cum dictam ecclesiam obtinuerit per [90r] concursum habitum ab illustrissimo et reverendissimo episcopo Aleriensi Mathaeo de Angelis in civitate Bastiae contra decretum praesidium huius Regni, modo eam pacifice possidere nequit nec in ea residere.

Annui redditus huius plebis sunt librae 1600. Pensio scuta 30. Familiae 86. Sacerdotes 14. Animae 280. Altare privilegiatum altare sanctissimi Rosarii.

Successive visitavit casazzam sancto Antonio Patavino dicatam de novo aedificatam. In ea erecta est societas, et confratres et sorores sunt biscentum. Dictum oratorium licet optime factum, tamen prae deformibus statuibus ex opere plastico est admodum deforme.

Pensio de qua supra a plebano persolvenda est in scu<ta>tis 30, viginti ad favorem sacerdotis Ioannis Laurentii Fraticelli et decem ad favorem ecclesiae.

In dicto loco duo sunt oratoria. Unum sub titulo Nominis Mariae, erectum a quondam duce Carolo Francisco et reverendo Angelo Francisco fratribus, filiis quondam Ioannis Pauli Antonini, die 16 septembris 1696. Summa dotis cappellae sunt librae 4000. Onus missarum sunt quatuor missae pro [90v] qualibet hebdomada celebrandae in dicta cappella. Modernus cappellanus est sacerdos Carolus Andreas Antonini, sed cum sit extra Regnum satisfit oneri a reverendis sacerdotibus Emanuele Antonini et Antonio Franceschini loci Pignae. Hi quoque ut alii iuramento asseruerunt integre satisfecisse.

Altera cappella seu oratorium sub titulo Nativitatis Mariae; in ea quoque est cappellania, et capellanus pro tempore est sacerdos Ioannes Baptista Savelli, qui cum nequiverit invenire testamentum foundationis cappellaniae, satius duxi ita indicasse quam confuse referre.

[...]

Pro ecclesia viceparochiali Sanctissimae Annunciationis loci Sancti Antonini

Sedi confessionali quae est prope baptisterium apponatur crates ex lamina attenuata intra mensem, alias sit interdicta; et caeteris apponantur sacrae imagines, tabella casuum reservatorum et bulla *In Coena Domini* intra duos menses, sub poena librarum viginti.

Intra quatuor menses aptetur pavimento a praesbiterio ad prima altaria et fiat ianua turri campanariae, sub poena librarum centum.

Omnes calices auro liniantur intra annum, quo elapso [112v] sint interdicti; calix vero parvior omnino sit interdictus donec aptetur et auro liniatur cum patena.

Parietes ecclesiae intra duos annos calce liniantur et dealbentur, sub poena interdicti ecclesiae.